



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt IX. De eadem contemplatione, ex Richardo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Idem quoque Bernardus cap. 11. ut supra :
 Quid ergo est DEVS? Quod ad uerbum spectat, finis;
 quod ad electionem, salus; quod ad se, ipse novit. Quid
 est DEVS? Voluntas omnipotens, benevolentissima vir-
 tus, lumen aeternum, incommutabile ratio, summa bea-
 titudo, creatis mentes ad se participandum, vivificans
 ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad
 capiendum, iustificans ad fruendum, dirigens ad acqui-
 tem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapien-
 tiam, robrans ad virtutem, visitans ad consolationem,
 illuminans ad cognitionem, perpetuus ad immorta-
 litatem, implens ad felicitatem, circumdans ad secu-
 ritatem. Haecenus Bernardus.

CAPVT IX.

De eadem contemplatione, ex Richardo.

De hac eadem contemplationis materia eru-
 ditè scripsit Richardus lib. 4. de contempla-
 tione cap. 17. his verbis: Quae autem circa Divinita-
 tum unitatem considerantur in una & simplici natura,
 videamus quam sint humanae intelligentie modum ex-
 cedentia, cum tamen sint nihilominus rationi con-
 sentanea; & idcirco maxime ad primum Cherubim,
 hoc est, ad quintum contemplationis genus pertinencia.
 Certè principale illud & summum omnium cre-
 ditur verè simplex & summè unum, & in illo uno &
 simplici bono esse omne bonum. Quantum ad essentiam,
 nihil illo simplicius; quantum ad efficaciam, nihil
 illo multiplicius. Quantum ad essentiam, quid illo sim-
 plicius, quod verè & summè unum est? Quantum ad
 efficaciam, quid illo multiplicius, quod verè & absque
 dubitatione omnia potest? Vide quam sit difficile, hu-
 mana ratione comprehendere omne quod est; & tunc
 intelliges, quam sit incomprehensibile illud bonum in
 quo omne bonum est. Supra rationem est, comprehen-
 dere quomodo bonum illud verè simplex & summè u-
 num omne bonum sit.

Veram tamen hinc assertio ratio humana facild
 acquiescit, & sua attestacione alludit considerans, &
 affirmans, & veraciter contestans: quia plenum atque
 perfectum & omnino sufficiens non esset, si in illo sum-
 mo & sempiterno bono boni aliquid defuisset. Quomo-
 do ergo comprehendere potest, quod immensum & infi-
 nitum est? Magnus, inquit, Dominus, & laudabi-
 lissimus, & magnitudinis ejus non est finis. Sed
 quis sensus potest capere, quae ratio comprehendere,
 quomodo possit simul utrumque esse & verè simplex, si
 est immensum; & summè unum, si est infinitum? Ec-
 tamen ratio cum ratiocinatione attestatur, quia verè
 simplex est, quod veraciter compositum non est: quia
 omne quod compositum est, naturam alter dividit potest;
 & quod naturaliter est divisibile secundum aliquid,
 est & commutabile. Consentit ergo ratio, verè simplex
 esse; quoniam oportet incommutabile esse, quod con-
 stitit optimam & summam omnium esse. Apud quem,
 inquit, non est transmutatio, nec vicissitudo ob-
 umbratio. Si igitur bonum est, incommutabile esse
 bonum; & aequè erit, simplex esse. Consequens ergo est,
 quia summè simplex est, quod summè bonum est. Si ergo
 nihil simplicius, nihil est illo subtilius: & quo nihil
 subtilius, nihil illo profundius: & profundissimo nihil
 insensibilius, & consequenter nihil incomprehensibi-
 lissimum. Videamus adhuc quid ex mutua collatione pro-
 veniat, simplicitatis & immensitatis unitatis & uni-
 versitatis. Si omne bonum ibi est, & quidquid ibi est,
 summè bonum est; ergo summa potentia, ergo summa
 sapientia, summa bonitas, summa felicitas. Vbi verò
 summa simplicitas est, totum quod est, unum idemque
 ipsum est. Vnum itaque idemque, est ei, esse, & vivere,

Thom. à Iesu Oper. Tom. II.

& intelligere, & posse, bonam & beatum esse: & vide
 quam hoc sit incomprehensibile. Non ergo est aliunde
 potens, aliunde sapiens, aliunde bonus, aliunde
 beatus.

Cognitio ergo quae sit illa potentia, cui est idem face-
 re, quod fieri velle. Attende quae sit illa sapientia, cui
 idem est posse quod scire. Pensa quae sit illa bonitas, cui
 quidquid placet, eo ipso decet quod placet: cui quid-
 quid dedecet, eo ipso dedecet quod esset. Conside-
 ra, quae sit illa vita, cui idem est esse quod beatum esse.
 Item & illud attende, quia si verè omnipotens est, &
 ubique potest. Potenti aliter ergo ubique est, & ubi locus
 est, ut ubi locus non est. Si verò potentialiter, & essentialiter;
 quia non est alia ejus potentia, & alia ejus essen-
 tia. Essentialiter ergo est intra omnia & extra omnia,
 infra omnia & supra omnia. Si intra omnia, nihil illo
 secretius: si extra omnia, nihil illo remotius: si infra om-
 nia, nihil illo occultius: si supra omnia, nihil illo sub-
 limius. Quid ergo illo incomprehensibilis, quo nihil
 remotius, nihil secretius, nihil occultius, nihil subli-
 mius? Item si in omni loco est, nihil illo praesentius: si
 extra omnem locum est, nihil illo absentius. Haec
 Richardus.

CAPVT X.

Rursum de esse DEI, eiusque perfectionum contemplatione.

AD unitatis DEI contemplationem multiplex
 ac varia reducitur contemplatio: nam nunc
 de mirabili esse DEI, quod nobis ad stuporem &
 ardorem dilectionis proponitur, multa scripserunt
 Patres, praecipue D. Bonaventura cap. 5. Iste-
 nerary mentis in Deum, hoc nomen DEI, nempe
 esse, quod est nomen primum, aeternum, sim-
 plicissimum, actualissimum ac perfectissimum,
 praecclare explanavit. Nec solum de esse DEI, sed
 etiam de multiplici perfectione ipsius contempla-
 tio, ut de immensitate, bonitate, sapientia, & ce-
 teris attributis, quae de ipso Scriptura docet, ad
 hanc reducitur speculationem, quae omnia breviter
 ac eruditè Cassianus Collatione 1. cap. 15. scrip-
 sit dicens: Contemplatio verò DEI multifarie con-
 cipitur. Nam DEVS non sola incomprehensibilis illius
 substantia sua admiratione cognoscitur, (quod ta-
 men adhuc in se promissionis absconditum est) sed
 etiam creaturarum suarum magnitudine vel equita-
 tis sua consideratione, vel quotidiana dispensationis
 auxilio pervidetur; cum scilicet, quae cum Sanctis suis
 per singulas generationes egerit, mente purissima per-
 lustramus; cum potentiam ipsius, quae universa guber-
 nat, moderatur, ac regit; cum immensitatem scientiae
 ejus, & oculum, quem secreta cordium latere non pos-
 sunt, trementi corde miramur; cum arenae maris, an-
 darumque numerum dimensum ei cognitumque pavidi-
 cogitamus; cum pluviarum guttas, cum saeculorum die-
 es & horas, cum praeterita futurae universa obstu-
 pescentes, scientiae ejus assistere contemplamus; cum
 ineffabilem clementiam ejus consideramus, quae innum-
 mera flagitia, quae singulis quibusque momentis sub
 ipsius committuntur aspectu, indefessa longanimitate
 sustentat; cum intuemur vocationem, quae nos, nullis
 praecedentibus meritis, gratia sua miseracionis adse-
 vit; cum denique quot occasiones salutis tribuit ado-
 randis, cum quodam admirationis intuemur excessu,
 quod ita nos nasci praecipit, ut ab ipsis cunabulis gra-
 tia nobis legis, sua notitia traderetur; quod ipse ad-
 versarium vincens in nobis, pro solo bona vo-
 luntatis assensu, aeterna beatitudine ac perpetuis
 nos praemii muneratur; cum postremo dispensatio-
 nem Incarnationis sua pro nostra salute suscepit,

Simplici-
 tatis, bo-
 nitatis,
 potentie,
 aliorum-
 que Dei
 attribu-
 torum
 descri-
 ptio.

Quomo-
 do ad
 hunc co-
 templa-
 tionis
 gradum
 pertineat
 divino-
 rum at-
 tributo-
 rum co-
 sidera-
 tio?

Quid sit
Deus?

Summo
bono
quo ad
essentiam
nihil sim-
plicius,
quoad
efficaciam
nihil mul-
tiplicius.

Psal. 114.

Iac. 5. 6.

Summè
simplex
est, quod
summè
bonum
est.

ESU

III.